1360.

In xpi nomine notum sit cunctis quod Ego Petrus Sarta oriundus de civitate Minorise nunc autem habitator barchinone Et ego Constancia eius uxor non dolo vi vel metu inducti [illegible] nec errore lapsi nec etiam ab aliquo circumventi set gratis
et certa sciencia bona et gratuita voluntate scienter pensato et consulte vendimus et titulo pure libere et perfecte ac irrevocabilis vendicionis tradimus deliberamus et concedimus vobis venerabili Bigario de Calamatha domicello presenti et acci-
pienti et vestris et cui aut quibus volueritis perpetuo totam partem et totum ius quam et quod habemus et habere debemus vel habeo et habere debeo ego dictus Petrus Sarta in manso appellato de ces Arnalls sito in parrochia Sancte
Marie de villa ordeorum et etiam in hominibus et mulieribus eiusdem presentibus et futuris ubicumque sint vel degant qui redempti non sint Et in censibus decimis redditibus usaticis agrariis et expletorum partibus et in locis
iornalibus traginis banadis femaris operibus guaytis badys albergiis questiis tolltis forciis intestiis cuguciis exorquiis redempcionibus hominum et mulierum firmamentis sponsaliciorum et in placitis stacamentis lexiis iure
eciis pace guerra hoste et cavalcata Et cum omnibus aliis et singulis hic expressis et non expressis que de iure usu vel consuetudine aut alio quovis modo habemus et recipimus et habere et recipere debemus et nobis
competunt et competere possunt quocumque modo in dicto manso terris honoribus et possessionibus suis et degentibus in eodem quocumque modo et quacumque racione seu causa quod ius et partem tenemus in dominio et alodio vestris. Hanc itaque
vendicionem et concessionem de predictis omnibus et singulis facimus vobis et vestris perpetuo pure libere et absolute sine omni nostro et nostrorum vinculo et retentu. Et sicut melius dici potest et intelligi ad salvamentum et bonum
intellectum vestri et vestrorum. Et ex causa huiusmodi vendicionis et concessionis damus et cedimus vobis et vestris perpetuo omnia loca nostra iura voces vices et omnes acciones nostras reales et personales utiles varias et directas
et alias quascumque nobis pertinentes et pertinere debentes in predictis que vobis et vestris superius vendimus et concedimus. Quibus siquidem locis iuribus vocibus et accionibus vestris propriis et aliis etiam quibuslibet possitis vos et vestri et quos
volueritis uti agere et experiri defendere et demandare in iudicio et extra iudicium in curia et extra curiam et alias sicut et quemadmodum nos facere possemus ante quam presentem vobis fecissemus vendicionem et concessionem et nunc
etiam et postea quandocumque suo loco et tempore. Nos enim ex certa sciencia instituimus inde vos et vestros in hiis dominos et procuratores ut in rem vestram propriam ad faciendum inde vestram liberam voluntatem sine omni
impedimento et contradiccione nostri et nostrorum Et cum hoc presenti publico instrumento perpetuo valituro inducimus inde vos et vestros de predictis omnibus et singulis in corporalem possessionem vel quasi ad faciendum inde
vestram liberam voluntatem. Dantes et concedentes vobis licenciam et plenum posse quod quandocumque vobis placuerit possitis vestra propria auctoritate et absque licencia monicione et requisicione nostri et nostrorum et alterius cuiuscumque accipere et apprehendere corpora-
lem possessionem vel quasi predictorum omnium et singulorum que vobis et vestris superius vendimus et concedimus Et ipsam apprehensam penes vos licite et perpetuo retinere Donec vero ipsam corporalem possessionem vel quasi
inde apprehenderitis ut est dictum constituimur et constituimus nos predicta que vobis et vestris superius vendimus et concedimus pro vobis et vestro precario nomine possidere vel quasi. Et nichilominus cum hoc presenti publico instrumento tenorem
cuius in se gerenti dicimus et mandamus hominibus et mulieribus dicti mansi licet absentibus quod amodo vobis et vestris et cui seu quibus volueritis pareat obediat respondeat et satisfaciat de omnibus hiis et singulis de quibus
nobis et nostris parere obedire respondere et satisfacere tenebantur et debebant ac etiam consueverunt vobisque vel cui volueritis homagium et fidelitatem prestent Quoniam ipsis hominibus et mulieribus vobis et vestris sic pa-
rentibus obedientibus et respondentibus de predictis vobisque vel cui volueritis homagium et fidelitatem prestantibus et facientibus nos exnunc ut extunc et extunc ut exnunc absolvimus ipsos et ipsorum quemlibet ab omnibus fide
homagio servitute et naturalitate et ab omnibus aliis et singulis in quibus nobis teneantur vel sint stricti sive etiam obligati. Pro precio autem huius vendicionis et concessionis confitemur et recognoscimus nos a vobis habuisse
et numerando recepisse omni nostre voluntati Quadraginta libras monete barchinone de terno. Super quibus renunciamus omni excepcioni peccunie predicte non habite non numerate et non recepte et doli. Et si hoc quod vendimus
modo plus valet vel amodo valebit precio supradicto Totum damus et remittimus vobis et vestris ex certa sciencia inperpetuum Renunciando specialiter legi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur. Ceterum promittimus et
convenimus vobis et vestris bona fide et per firmam validam et sollempnem stipulacionem [illegible] quod predicta que vobis et vestris superius vendimus et concedimus faciemus vos et vestros et quos perpetuo volueritis tenere habere et
firmiter contra omnes personas perpetuo possidere. Ita specialiter quod si per quoscumque vobis vel vestris de iure vel de facto aut aliter in predictis per nos vobis superius venditis in toto vel in partem fieret vel moveretur questio aliqua
peticio vel demanda incontinenti cum per vos vel vestros fuerimus requisiti sive etiam moniti verbo nuncio scriptis vel aliter opponemus nos et omnia bona nostra defensioni vestre et vestrorum. Et suscipiemus in nos omnes lites
sive questiones. Et ducemus ac tractabimus causam vel causas quas inde contingerit provenire nostris et nostrorum propriis sumptibus et expensis a principio litis sive questionis usque ad finem Electione tamen vobis et vestris super hiis semper
servata utrum volueritis ipsam causam vel causas ducere et tractare per vos ipsos aut nobis vel nostris denunciare ut easdem ducamus et tractemus. In quo quidem casu si vos vel vestri elegeritis ipsam causam vel causas ducere et
tractare per vos ipsos hoc facere possitis si velitis. Quoniam nos exnunc ut extunc et extunc ut exnunc remittimus vobis et vestris per pactum expressum necessitatem denunciandi. Et in utroque casu predictorum quicquid a
vobis vel vestris ex causa predicta de premissis evictum fuerit sive ablatum totum id quot et quantum fuerit vel fuerit promittimus vobis et vestris per nos et nostros reddere restituere resarcire et emendare cum inde fuerimus
requisiti. Simul cum omnibus dampnis missionibus sumptibus et expensis ac interesse tam extra rem quam etiam extra litem factis et fiendis. Super quibus
omnibus et singulis supradictis credatur vobis et vestris plano et simpliciter verbo vestro et vestrorum sine testibus et iuramento nulloque alio probacionum genere inde exacto vel requisito. Et pro hiis [illegible] insolidum
obligamus vobis et vestris nos et omnia bona nostra mobilia et inmobilia habita et habenda ubique sint. Et quantum ad hec renunciamus omni nove constitucioni et beneficio dividende accionis et omni alii
iuri legi racioni et consuetudini contra hec venientibus. Preterea ego dicta mulier de meo iure per notarium certiorata renuncio quo ad hec doti et sponsalicio meis et auxilio velleyani senatus consulti et iuri ypo-
thecarum mearum et auctentice Siqua mulier. Iuramus sponte nos ambo dicti coniuges in animabus nostris per dominum deum et eius sancta quatuor euangelia nostris manibus corporaliter tacta predicta omnia
et singula rata grata et firma semper habere et ea inviolabiliter observare et numquam in aliquo contrafacere vel venire iure aliquo causa vel racione. Actum est hoc vicesima prima die mensis July anno a
nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo. Sig+num Petri Sarta. Sig+num Constancie eius uxoris predictorum qui hec facimus firmamus et iuramus. Testes huius rei sunt
Ffrancischus Lupperi Jacobus Nolli cives Minorise Et frater Johannes bonis de ordine Sancte Marie de monte carmelo.

Sig+num mei Ffrancisci de Montecalvo notarii publici barchinone in cuius manu et posse dicta domina Constancia uxor dicti Petri Sarta predictum instrumentum et omnia in eo contenta laudavit firmavit et iuravit
ut supra continetur barchinone vicesima sexta die July anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo presentibus testibus Petro Oristolis de loco de [illegible] et Bngario Boses scriptore.

Sig+num Ffrancisci Basbals notarii publici Minorise pro venerabili preposito Minorise qui hec scribi fecit et clausit.

1360

p. m. [illegible]